Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-730058-p0001-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-730058-p0002-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-730058-p0003-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-730058-p0004-5

1705.

1. Beierus, Adrianus, Fac. juridicae decanus: Propempticum inaug: De indiciis. (lectioni auspicali Johannis Jacobi Arnoldi praemissum.)

2. Beierus, Adrianus: De probatione ob identitatem vitiosam

3. Beier, Adrianus, Fac. juridicae decanus: Rosa inter spinas sive: programma (lectioni auspicali Johannis Stephani Schwartzii praemissum).

4. Bruckner, Iml. Hieronymus, Facult. jur. decanus: An Justinianus Imp. fuerit uxorius? Programma (lectioni auspicali Johannis Adolphi Fürstenau praemissum)

5 a.b Bruckner, Iml. Hieronymus, Fac. jur decanus: De usu et aestimatione scripturae S. apud pontificios et speciatim in jure canonico. Programma (lectioni auspicali Christophi Ferd. Kampieri praemissum).

2 Exempl. 1705 u. 1753.

1705.

6[a-b] Bruckneruſ, Guil. Hier.: De actione injuriarum, ob arrestum contra debitorem solvendo existentem dolose impetratum, competente. 2 Exempl. 1705 & 1738

7. Bruckner, Guil. Hieronymus, Collegii juridici decanus: De differentia consensus sponsalitii et matrimonialis, indeque resultantibus effectibus praecipuis. Programma (lectioni auspicali Georgii Nicolai Pfannstiel praemissum)

8. Buddeus, Jo. Franciscus: Clementem Romanum atque Irenaeum non favere missae pontificiae.

9. Foertsch, Michael: De peregrinationibus religiosis judaico-ethnico-pontificiis.

10. Friesen, Joh. Bernhardus, Fac. juridicae Decanus: Programma inaug.: De genuina ablativorum absolutorum indole ~~(Programma~~ (lectioni auspicali Matth. Nicolai Braun praemissum)

1705

11. Friesen, Jo. Bernhardus: De sacerdote jurato in confessione enunciata negante, non perjuro. . . (ad lectionem cursoriam Johannis Valentini Drosihn invitat).

12. Friesen, Joh. Bernhardus, Fac. jur. decanus: Programma inaug. (lectioni auspicali Joh. Davidis Hartungi praemissum.)

13. Friesen, Johann Bernhardus: De aemulatione

14. Friesen, Joh. Bernhardus, Fac. jur. decanus: Programma inaug: De ablativis absolutis conditionem vel necessitatem non inferentibus (lectioni auspicali Johannis Davidis Langemantel praemissum)

15. Friesen, Joh. Bernhardus: De contractu in genere.

16 Hertel, Jo. Fridericus: De regestis judicialibus

17. Schroeterus, Jo. Christ: De probatione dominii

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-730058-p0007-1

1705

18 u. 2 Slevogtius, Jo. Philippus: De crimine abortus.

2 Exempl.

19. Slevogtius, Jo. Philippus: De in jus vocatione

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-730058-p0008-7

J. J.

ADRIANI BEIERI, D.

Pandectarum Profeſſoris publici, Curiæ provincialis, Facultatis Juridicæ & Scabinatus Adſeſſoris, Collegii Juridici hodie Decani & totius Academiæ PRO-RECTORIS

PROPEMTICUM INAUGURALE

DE

INDICIIS.

P. P. Dominica II. poſt Paſcha d. 26. April. A. MDCCV.

JENÆ,
Literis WERTHERIANIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-730058-p0009-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-730058-p0010-8

A ſcholis ad forum transeuntes, primas inter curas aſſumere ſolent ſtylum ibi uſitatum: qui utique pro perſonarum altercantium, negotiorum controverſorum, Proceſſuumque diverſitate ſervatur varius. Dum tamen & in ipſo noſtri Juris corpore, paulò ſumus attentiores, haud deficiunt textûs, quibus modò transmittimur levius: mox tanquam fulgure percellimur aliquo. Diocletianus & Maximinianus Imperatores, ad *legem usque antepenultimam C. de Probat.* moderatè ſatis cauſas audierant, atque inter ſingulos placidè definierant. Imperatores Valens, Gratianus, & Valentinianus in *l. p. cod.* ad Antonium P. P. poſt alia univerſalem ſanciebant legem. Sed Gratianus, Valentinianus & Theodoſius Auguſti, legem *ultimam ibid.* cum impetu quodam, à Proclamate publico, tanquam irritati exordiuntur. Sciant cuncti accuſatores, exclamantes, eam ſe rem deferre in publicam notionem debere, quæ munita ſit idoneis teſtibus, vel inſtructa apertisſimis documentis, vel indiciis ad probationem indubitatis, & luce clariore expedita.

Si non aliud agunt, quàm ut in Actorem quem-

vis devolvant probandi neceſſitatem : jam ex *l. 8. & l. 23. h. t.* poterat id colligi; eſtque adagium Germanicum ex ſe notum : der klagen will / klage feſt! ſtringenter inquam. An igitur hoc ſuperaddere voluerunt, ut præter Teſtes atque Inſtrumenta, tertium probationum adminiculum aſſumant Actores, INDICIA? Quorum planè Carpzovius in ſuo Proceſſu, licèt per tres Titulos integros, *XIII. ſeqq.* prolixè ſatis argumentum pertractat, mentionem facit nullam. Et, ſi inſuper admittere velis conjecturam, tanquam civilium tum cauſarum tractet ibi proceſſum: Imperatores contrà criminalem ſatagant inſtruere: alius emergit ſcrupulus: Num Indicia proceſſui quadrent Ordinario? cum Imperatores innuere videntur, dum non inquiſitorium commemorant, aut denunciationis faciunt mentionem, ſed ſimpliciter *publicam* dicunt *notionem*.

Sed hæc omnia perfunctoria ſunt, ſi conſideres, quòd Auguſti Indicia ſpecies, an membra probationum conſtituant, & tamen probari deſiderent ea ipſa : dum inquiunt: Indiciis ad probationem indubitatis (qui eſt *uſus:*) & luce clarioribus : qui eſt *ſtatus:*) An datur igitur probatio probationis? aut, num & Teſtes, antequàm probent, probandi veniunt? Pariter nec Inſtrumenta probabunt, niſi antè probentur ipſa? Si non hoc, unde verò eſt, quod in Indiciis ſervatur ſecus? Ab ovo res exordienda videtur: Quale quid ſit *Indicium?* Nomen ab indicando gerunt, quod ſeu agunt factô, ſtatuve ſuô, dum v. g. herbæ quædam in compratenſibus ſua ſentiunt gnitiria: ſeu verbô etiam, quale improviſum aliqui emittunt, v. g. comminatoria, quæ poſtmodùm mors fuit ſecuta. Carolus Imperator V. in Nemeſi ſua

Art.

Art. XXIV. aus dieſen nachgeſetzten Articulen von Argwohn und Anzeigung der Miſſethat ſagend &c. Alia tamen ſuperſunt, quibus exprimuntur, vocabula, Conjecturæ, Præſumtiones, Signa, Suſpiciones, Argumenta, quippe quod *in h. n. l. ſ.* necnon in *l. 17. in fin. C. ad L. Corn. de Falſ. l. 19. pr. C. de R. V.* Indiciorum voce exprimitur: hoc Gordianus Imp. in *l. 5. C. de Fid. inſtrum.* Alexand. Imp. in *l. 1. C. de teſtib.* D. Hadrianus Imp. in quadam epiſtola, quam Ulpianus in *l. 1. §. 1. ff. de Qq.* Diocletianus & Maximinus Impp. in *l. 1. §. 1. C. de Qq.* Argumenta vocant.

Nim. Probatio alia naturalis eſt, quæ per Teſtes fit atque Inſtrumenta; v. g. in proceſſu exſecutivo per ſola inſtrumenta vel ex Confeſſione adverſarii fit: nequaquam per delationem juramenti. Carpz. *Proceſſ. Tit. XXII. Art. IV. n. 18.* nec per Præſumtiones & Conjecturas. *Id. Ib. n. 24. 26.* Alia Artificialis eſt, quæ per Locos colligitur topicos: in hac utique per argumenta proceditur: Idque non in civilibus modò, verùm Criminalibus etiam. Suntque Indicia quædam Generalia, ſive delictis pluribus Communia, quæ à Statu, quem tenent, in Certa ſeu indubitata dividuntur: & Probabilia ſeu Veroſimilia. *v. l. 8. §. 1. C. de Qq.* A Scopo, quem tangunt, alia Propinqua dicuntur, alia Remota. A fine atque Uſu, quorſum conducunt, proficiunt aliqua ſolùm ad Capturam, quorum Valorem dijudicabit Judex, ex quo tota materia Indiciorum & Capturæ, arbitraria eſt. Carpz. *pr. Cr. Qu. CXI. n. 23.* alia inſuper ad Torturam; quod itidem tamen Judicis arbitrio relinquendum. Id. *d. tr. Qu. CXXIII. n. 27.* Quædam certorum ſolùm delictorum propria, juxta P. H. O. *Art. 25. & 33.*

Quoniam autem non hoc modò impoſſibile habetur, omnia & ſingula cujusvis delicti indicia referre, fatente Carolô ipsó diverſis Nemeſeos ſuæ locis. *art. 18.* verb. Dieſelben Sachen der Wahrzeichen / ſo ein redlich gnugſam Anzeigen / Argwohn oder Verdacht geben / ſeynd nicht möglich alle zubeſchreiben & aliis. Ideò Factum quodque cum ſuis circumſtantiis probè ponderari, ex iisque poſtmodùm indicia ad quæſtionem habendam deſumi debent. Cùmque aliquando plura pauciorave emergant, quæ non æquè intrinſecè profluunt, neque æquê efficaciter ſtringunt: Evenit utique ut Actor, aut Judex ipſe, ad numerum attendat, quota deſiderentur, quotave de facto ſuppetant, & quousque ſufficiant: Quo denique teſtium numeró verificari opus ſeu poſſibile ſit? aut ſi hæc omnia eveniant, dum ex adverſo favor defenſionis atque innocentiæ multum operatur, ut Reus ad elidendum ea admittatur, dictâ ſanctione Carolinâ *artic. 29. 33. & 37.*

Quibus poſitis, non modò nil abſurdi ſubfuiſſe patet, dum Auguſti, actores in cauſis criminalibus præter ordinaria probandi remedia, Teſtes, Inſtrumenta, quippe quæ non usque in criminibus interveniunt, Indiciis inſuper, tanquam adminiculis extraordinariis inſtructos venire juſſerunt: Verùm neceſſe inſuper eſſe, hæc ipſa probandi adminicula diſtinctis probationibus eſſe ſuffulta; dum Rei, eorumque Defenſores nihil eorum, quod ad ſui purgationem, & inculpatorum diſpunctionem contribuere quidquam poteſt, omittere aſſolent. Qui ergo agere vult, agito ſtringenter! Luce clariora adferto Judicia! Neque verò peculiaris ea Indiciis

ca-

lamitas accidit: Probari oportere: Cùm neque Teſtes neque Inſtrumenta ita perfunctoriè admittantur, quin qualificari oporteat. Sed hæc noſtra interim mens eſto! Cœtera relinquimus Jurium Candidato ſolertisſimo, qui ſolennem hunc ſibi voluit eſſe textum.

Appulit nim. paucos ante dies ad nos Vir Nobilisſimus atque Clarisſimus

DN. JOHANNES JACOBUS ARNOLDUS,

Cauſarum in Electorali Dresda hilaris famæ Patronus: Honeſtisſimis in hanc lucem Oſterfeldæ, ſub Epiſcopatu Naumburgenſi, editus parentibus; Patre Dn. CASPARO ARNOLDO, Collectarum Præfecto; & Matre ANNA CATHARINA è MÜLLERIANA, quæ Geræ & Schopaviæ floret familia. Ad vitam & eruditionem quod attinet, traditus primò fuit privatis Præceptoribus, deinde in ſtudiis progreſſum fecit ſub Nobiliſſimo atque doctiſſimo Dn. M. IOHANNE TÖPFERO, Rectore Scholæ Naumburgenſis. Jactis bonarum artium fundamentis ad altiora adſpiravit, ſeque examini, quod à Serenisſimo Duce Saxoniæ & Poſtulato Epiſcopatûs Naumburgenſis Adminiſtratore, ſubditorum filiis, antequam ad Academias abeant, præſcriptum, in Conſiſtorio Cicenſi humilimè ſubmiſit; dignus judicatus, & teſtimoniò dimiſſus, conſtituit equidem ſibi, ſtudia in Academia Jenenſi proſequi. Siquidem ſub manuductione Dn. M. GEORGII TITII, tunc temporis Philoſophicæ Facultatis Adjuncti, philoſophica: & conſilió Dn. D. SIMONIS, jura tractare inceperat: ſed ſpem præter avocatus, Lipſiam ſe contulit, ubi in Philoſophi-

cis,

cis, B. Dn. VALENTINVM ALBERTI, & B. Dn. Lic. MENKENIUM, aliosque Profeſſores: In Jure autem B. Dn. GEISLERUM, & Dn. D. ANDR. MYLIUM, Dn. D. ITTIGIUM, nec non Dn. D. BARTHOLOMÆUM SCHWENDENDÖRFFERUM, per quinquennium & quod excurrit, tanquam ſuos Doctores ductoresque ſumma cum laude, deprædicat. Cùm autem Jurisprudentia non tantum conſiſtat in juris cognitione, ſed etiam in ejusdem cogniti applicatione; tandem ad praxin ſe adplicare conſtituit: & quamvis in illa Lipſia felices ipſi promitteret progreſsûs, feliciores tamen Dresda exhibuit; ubi & hactenus jura Clientum laudabiliter defenſitavit. Unde aliud longè agens, non ita pridem huc adventans, priſtinum erga Salanam hanc legum nutricem ſenſit affectum, noſtræque Facultati declaravit voluntatem, præmia Studiorum ac ſupremos capeſſendi honores: quos veterano militi negare neutiquam potuimus. Ad conſueta igitur examina privata admiſſum, dignisſimum invenimus, cui fores pandantur ad ſpecimina publica, ipſosque adeò ſupremos honores. Craſtini ergò Lunæ diei, quem viceſimum ſeptimum computabimus verni noſtri Menſis Aprilis, horâ decimâ antemeridianâ in publicum eum producemus, ad prædictam *l. f. C. de Probat.* commentaturum. Cui ſolennitati ut Illuſtriſſ. Dn. Comites, Patres Academiæ conſcripti ſpectatiſſimi, & qui alii Jprudentiam noſtram colunt, Generoſi denique ac nobilisſimi Domini Studioſi præſentiam accommodare velint ſuam, nomine Facultatis decenter oro, atque ad paria officiorum genera paratos nos fore polliceor. P. P. ſub Sigillo Facultatis Dominica II. poſt Paſcha. d. 26. April. 1705.

Jena, Diss., 1705 A-Ss

ULB Halle 3
006 839 045

VD18

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-730058-p0018-2

J. J.

ADRIANI BEIERI, D.

Pandectarum Profeſſoris publici, Curiæ provincialis, Facultatis Juridicæ & Scabinatus Adſeſſoris, Collegii Juridici hodie Decani & totius Academiæ PRO-RECTORIS

PROPEMTICUM INAUGURALE DE

INDICIIS.

P. P. Dominica II. poſt Paſcha d. 26. April. A. MDCCV.

JENÆ,
Literis WERTHERIANIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-730058-p0019-1